



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Martini Lvtheri Piae Ac Doctae Operationes In Dvas Psalmorvm Decades

Luther, Martin

Basileae

VD16 L 5540

Quoniam præuenisti eum in benedictionibus dulcedinis, posuisti in capite
eius coronam de lapide præcioso.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37005

labiorum oratio, inutile murmur est, & ut uocalis oratio negligenda non est, ita curandum, ut ab oratione cordis proficiatur, Psallam spiritu, psallam & mente, ait Apostolus.

Non fraudasti, intelligitur non priuasti, non remouisti, hoc est curasti, ut non frustra oraret, nec orationem eius auertisti, ut non exaudires, per negatiuam, maxime affirmatiuam orationem faciens. Quid autem desiderauit cor? quid uoluerunt labia? Sequitur.

Quoniam praeuenisti eum in benedictionibus dulcedinis, posuisti in capite eius coronam de lapide precioso.

Interpres noster perpetuo, lapide preciosum reddit pro, id est auro ophirizo & optimo, ut psal. xviii. quoque uidimus. Denique psal. cxviii. super aurum & topasion, dicit, ubi eadem dictio paz, allusione sui, fecit eum Topasion cogitare, cum dicitur fuerit, Super aurum & ophirizum, sunt enim prorsus eadem ibidem uocabula, quibus psal. xxiii. dicitur: Super aurum & lapidem preciosum. Et hoc loco coronam de obrizo, Hiero. trāsfert, id quod cogit communis omnium sensus & usus. Neque enim coronam regum gemmae, sed aurum sunt, manifestum autem est, quod de regia corona loquatur, reddimus itaque ad uerbum sic: Quoniam praeuenies eum in benedictionibus bonitatis, pones in caput eius coronam ophirizi, id est auri preciosissimi.

Verbum, praeuenisti, quid uelit non satis intelligo, quantum ex hebraeo augurari licet, comparatiue dicit, hoc est, Christum sic esse benedictum, ut princeps esset omnium qui benedicitur, eiusque benedictiones tales, quales nullorum aliorum, iuxta illud psal. xliii. Vn xit te deus, deus tuus, prae confortibus tuis. Et Paulus Ro. viii. Vt esset primogenitus in multis fratribus. Et iterum. j. Cor. xv. Christus resurrexit primitiae dormientium. Et psal. lxxxviii. Quis similis erit deo, in filiis dei? Omnino ad personam istam praeuentionem refertur, quam & hoc pulcherrimo & uenissimo sensu dicitur, quod Christus primus omnium resurrexerit, ut & hic locus sit unus eorum, qui de resurrectione praedictus sit, ut non solum ad dignitatem personae, sed simul ad praeuentionem temporis pertineat. Neque enim Paulus eum primitias dormientium & primogenitum uocat, dignitatis tantum personae respectu, sed & temporis. Sit ergo sensus: Praeuenisti eum, id est primum fecisti in benedictionibus illis optimis, quod confirmat pars sequens, quae eum regem coronatum eloquitur, uelut explicans istam praeuentionem.

Diximus enim hoc uersu, incipere Prophetam ut recitet quae sint illa, quae cor regis huius desiderasset & uoluntas labiorum eius postulasset, nempe salutem ex morte, & uirtutem ex infirmitate, hoc est, optimas benedictiones. Oportet enim hebraismo isti assuescere, quo benedictiones bonitatis, dicuntur, quae latine dicuntur, benedictiones bonae uel potius optimae. Nam interpres noster, non raro, ut Tob, hebraicum uertit dulce, quod proprie bonum significat, & hoc uersu, dulcedinem uertit, quod latinus quid sit, uix intelliget, cum latine benedictionem dulcedinis dicamus eam, quam dulcedo conferat uel habeat, sicut iusticiam dei uocamus, quam deus largitur.

Benedictiones uero, ite hebraico idiosyncrismo dicitur quae nos beneficia uocamus, sicut Iacob. xlix. Gen. dicit, de benedictionibus uberum & uuluarum &c. j. Reg. xv. Suscipe benedictionem hanc, quam attulit ancilla tua, quae omnia benedicere deo proueniat, ut Gen. j. scribit. Discernit itaque propheta, benedictiones has Christi ab omnibus alijs dum eas appellat, Tob, id est bonas & suaves, cum nusquam hoc epitheton

O o ij benedictio

Benedictio nes.

benedictiones commendentur, in quo absq; dubio de bonis futuris se loquit ostendit in quibus nulla tristitia, nulla amaritudo sit. Nā quæ hoc vitæ tēpore possidemus q̄tumlibet optima, nō sine malitiā possidemus, dies enī mali sūt. Et sufficit diei malitiā sua, ait Christus, q̄n̄ & electis suis prædicit, q̄ in mundo pressurā essent habituri, nec ip̄am gratiā dei suauissimā, sine labore possessuri, quo uerbo præoccupat, ne quis coronā auream Christi intelligere præsumat

Christus in rebus sacris

rex.

in rebus bonis, hoc est, futuris & spiritualibus. Allegoriā ergo nobis extorquet ipsa circūstātiā, cōsequētiā & sententiā uis, ut per impetitionem aureæ coronæ, aliud nihil periphrasticos intelligamus, q̄ eum regē esse cōstitutū in rebus sacris, spiritualibus & optimis. Quæ periphra-
Periphraſis in sacris literis. sis non rara est in sacris literis. Iudic. v. Qui ascēditis super nitētes asinas, id est, qui ambulatis in uia, id est, proleteriū uulgus & plebei, Gen. xlix. Inuiderūt ei habentes iacula, id est balistarū. Ita hīc pones in capite coronam obrizi, id est, constitues eum regem regum, & dominum dominantium.

Quæ enim esset ista magnificētia dei: quæ tā grādiloquo sermone copit de scribi, ut regē hunc nō in hominū, sed dei uirtute & salute uehementer lætātem, deinde præuētum in optimis beneficijs, ac donatū lōgitudine uitæ, positumq; in benedictionē perpetuā fecerit, & inter medias has diuinas pompas, caderet in eas sordes, ut & auri istius corruptibilis iactaret gloriam, cum tales coronas passim possideāt, propria uirtute & arrogātiā, ut quicq; sunt impijssimi & sceleratissimi, digni non quos in sua uirtute & salute deus lætificet cū uultu suo, sed in ira sua cōturber & deuorados igni tradat, ut p̄sequetur psalmus. Quare ma iestas tum coronātis, tum coronati, aliāq; circūstātiā monere debet, coronam hanc auri esse etiam maiestatis insolitæ & nulli regum aliorum attributæ.

Vitam petijt a te, & tribuisti ei longitudinem dierum in seculum, & seculum seculi.

Arbitror hīc partiri Prophetā, ut prædictas benedictiones dulcedinis ordine percēseat, & quid per aureā coronā uoluerit, exponat. Enumerat enim, uitam, gloriam, regnū, sacerdotium, beatitudinē, & hæc oīa æterna, deinde uictoriam & uindictā sempiternā in hostes eius, his enim expeditis, clarum erit, quid desiderarit cor regis, & quid uoluerit uolūtas labiorum eius, nempe has optimas

*Prima benedi-
ctio.*

benedictiones. Prima ergo benedictio est quā petijt, ut a morte eum saluum faceret. Et fecit sic, Nō solum enim suscitauit eū, sed & lōgitudinē dierū dedit ei, in seculū & ultra, id est uitā æternā. Et hīc intelligimus de Christo psalmum loqui, quod uitā petijſſe scribit & datā ei æternā. Morituri enī iste affectus, qui uitā petit, q̄d Christū fecisse scribit Apostolus ad Hebræos, & exauditum pro reuerentiā, habenti enim uitam nō datur, sicut nec petitur.

Explicat autem seipsum Propheta, dum uitam petitam & datam, esse longitudinem dierum non aliquo fine terminandam, sed in seculum & in seculum seculi, dicit. Duas istas dictiones, וְיָוִם olam & ed, uarie transferunt, quæ mihi tropo hebræis proprio, æternitatem uidetur significare, sicut nos alemanice dicimus, *ymmer vnd ewiglich*. De olam quidem superius diximus, quod incertum tempus significat, quæ tamen ipsa significatione, æternitatem intelligimus, sicut in Melchisedech, nullam originem nullumq; finem habente,